

mentario Procli, in propositionem 45 libri primi Euclidis, vbi sic ait, *Ex hoc problemate, opinor inducti veteres, etiam circuli quadraturam quaesuerunt: si enim parallelogrammum æquale reperitur omni rectilineo, non indignum est sciscitari, an quoque rectilinea circularibus æqualia dari possint.* Sane diu multumq; a varijs artificibus laboratum est, vt quadratura circuli inueniretur, hoc est, vt certa ratio monstraretur, qua spatium circulare cum quadrato exæquari posset: sed nunquam votis ipsorum respondit euentus. Cum enim certam rationem se inuenisse arbitrarentur, vtique in multas absurditates paulatim inciderunt, vt principia Geometriæ labefactare, & suis hypothefibus contraria statuere cogerentur. Quod expresse testatur Simplicius lib. septimo Physicorum, contextu 21. quando sic scribit, *ὅτι ἀπὸ τῆς τοῦ ὀρθοῦ τετραγωνισμοῦ ἡ ὑπερβολὴ τῆς περιμέτρου καὶ τοῦ τετραγώνου ἴση ἐστὶν ἢ ἡ ὑπερβολὴ τῆς περιμέτρου καὶ τοῦ τετραγώνου, ἀλλὰ μετὰ πινῶν ὑποθέσεων ἀντιλεγεμενῶν*, hoc est, & propter hoc neque circuli quadratura inuenta est adhuc: etsi enim nunc inuenta esse videatur, inuenta tamen est cum quibusdam hypothefibus contradicentibus. Veruntamen non omnium conatus simpliciter damnandus est: constat enim vtilissimum inuentum esse Archimedis, quod licet summam præcisionem minime attingat, proximam tamen æquationem subministrat. Tolerandi igitur sunt huiusmodi artifices, qui circuli quadraturam, ex rationibus mechanicis constructam, sensibus aliquo vsq; satisfacere

B